

possunt. Cicero. 3. de Orator. 48. Et de orat. ad Brut. 45. figuras  
sententiarum enumerat, & præter eas Fab. c. 2. l. 9. tres novas  
& 40. adjunxit, teste Claud. Minoch. l. Verùm ex his decem  
tantum enumerata ad benedicendum necessaria judicantur,  
reliqua tanquam aliena meritò repudiantur.

## C A P U T X X V I.

## I. E X C L A M A T I O

est figura sententiæ per adverbium ex-  
clamandi expressum vel intellectum.

(Græcè dicitur *Ἐκφώνησις*, quod elationem vocis pro-  
nunciandæ requirat. Item *Σχετλια* *Ἐμὸς*, quòd sensum  
aliquem doloris & indignationis præ se ferat. Definitio  
à genere (figura sententiæ) & formæ quæ ab adjunctis adver-  
biis seu Interjectionibus desumptæ. Interjectiones enim seu Ad-  
verbia dicas, nihil interest.

2. Notæ exclamationis sunt, *O uti-  
nam, proh, ah, heu, eheu, at, at at, va, en, ecce,*  
*euge,* & particulæ similes: quarum aliæ  
sunt admirantis. 2. aliæ optantis. 3. aliæ  
laudantis. 4. aliæ obtestantis. 5. aliæ o-  
minantis. 6. aliæ indignantis. 7. aliæ ob-  
jurgantis. 8. aliæ irridentis. 9. aliæ dolen-  
tis. 10. aliæ commiserantis. 11. aliæ impre-  
cantis. 12. aliæ desperantis. 13. aliæ deniq;  
affectuum aliorum alia.

(Vbi observa, non semper notas has vel illas in Exclama-  
tione explicitè poni, sed tamen affectu sententiæ nihilominus  
exprimi: idèò in definitione dicitur expressum vel intelle-  
ctum, ut, Rom. 7. Miser ego homo, quis me liberabit ex isto cor-  
pore mortis? præ ò vel Ah.